



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Anastasio Abbate Et IX Monachis Suppentoniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

rabilem apud homines ignominiam. Hæc cum animo yersaret, et recte intelligeret, quod nulla spes de cetero, et nulla ab eis relicta esset liberatio, gravi dolore cor ei feriebatur, igne viscera incendebantur, gravissimo luctu anima tenebatur: quid non dicebat, quid non faciebat miserabile? capillos acerbe vellens, pectus valde feriens, fronte misere solum pulsans, longum et acutum ejulans, pedes rigans lacrymis, eum qui jacebat, tamquam vivum alloquens, qui solus erat spes, inquit, solus servator, recedit, reliquit nos deditos daemone. Quodnam adhuc est refugium? Quænam est adhuc expectatio? Nunc ensi melius est sua sponte incumbere: nunc ignem, nunc mare ingredi, et sic daemone insultu effugere.

liberatur.

87 Hæc deflex infelix, se in lectum dejecerat, amplectebatur reliquias, malebat una cum eo sepeliri, quam lucem adspicere, tali tyranno serviens. Quid ergo Deus rerum admirabilium? Movet quidem daemone interim, dum flet, hominem, et cum eum humi dejecisset, et totum ipsum in oculis omnium dilacerasset, ut vel sic involuntarium significaret recessum, quamque hominibus infectus, et quanto in eos cieatur furore, eum reliquit, aut potius ipse exturbatur, motus flagello diviniore. Sic ergo ei et vivo, et post mortem cessit terra, et cælum, et mare, et aer, et daemones; Terra quidem a feris, cælum vero a siccitate, mare autem a periculis, aer vero a lo-

custa et brucho, daemones autem a plagis homines liberos relinquentes: et nihil fuit, quod non deinceps ejus testaretur virtutem, apud Deum fiduciam.

88 Cum autem fama repente in omnem locum pervasisset; quod et magnus Theodosius ad suum Dominum jam excessisset, et magnum de daemone miraculum esset a non paucis auditione acceptum; Petrus ille magnus qui tunc Apostolicam Sedem tenebat Hierosolymis, ille, inquam, Petrus, ejus magna quidem fuit fama, famam autem superabat virtus; accedit cum multis aliis Episcopis ad sepeliendas reliquias. Undique autem concurrebat et multitudo monachorum simul, et promiscui vulgi. Omnes autem multum ponebant studii, ut et partem aliquam attingerent, aut sanctorum illius capillorum, aut sacra vestis, aut certe ut vel solum appropinquarent, et beatum illum vultum viderent: et de eo tanta certabatur contentione, ut ne diu quidem permitteretur sepelire reliquias, sed melius existimaretur prætermittere justa quæ fiunt mortuis. Deinde vero tandem permittente multitudine, honorifice simul et splendide illud venerandum et cælis dignum corpus terræ mandatur et contegitur: non ut quod operet quidem abdi et latere, sed quod servabatur potius piis, tamquam opes et thesaurus, ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, simul cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum, Amen.

AUCTORE ANONYMO.

Conveniunt Episcopi ad ejus sepulturam.

diu populi multitudine impediuntur.

DE S. ANASTASIO ABBATE ET IX MONACHIS SUPPENTONIAE.

CIRCITER AN. CHR. DLX. XI JANUARI. Mons S. Silvestri, sive Soractes.

Mons est Italiae in agro Falisco apud Tiberis ripam, Soractes, et Soracte antiquis dictus, vulgo nunc Mons S. Silvestri, a cenobio quod in honorem S. Silvestri Carolomannus edificavit, ut lib. 4, cap. 60, testatur Aimoinus, aut certe restauravit: fuit enim antea in Soracte cenobium, ut infra ex S. Gregorio patebit. Leander in monti nomen factum ait, quod in eo S. Silvester Pontifex olim latitavit. Inter eum montem, et Nepete, sive Nepe oppidum, quod nunc vulgo Nepi dicitur, Suppentonia fuit, quam modo Castellum S. Eliae appellari Ferrarius testatur, locumque fere nunc desertum, nisi quod caetera etiamnum ecclesia. At Baronius distinctius certiusque: De loco Suppentoniae, diu multumque laboravi: cumque non invenirem quid certi afferrem, consului tandem accolae regionis, qui ex veteribus monumentis locum ipsum optime norunt, a quibus illud accepi: monasterium S. Anastasii fuisse juxta locum, qui hodie dicitur, Castellum S. Eliae, a Nepesina civitate duobus milliariis distans; ubi est adhuc nobilis ac vetus ecclesia, nomine S. Eliae atque S. Anastasii Deo dicata, non longe a monte Soracte, illudque ipsum olim Suppentoniam appellatum esse.

Suppentonia.

S. Anastasii natalis.

2 Isthic S. Anastasius, ex Romanae Ecclesiae Notario monachus, ad deinde Abbas, vixit. Cujus natalis in Id. Janu. consignat Martyrologium Romanum, his verbis: Suppentoniae apud montem Soractem, S. Anastasii monachi, et sociorum, qui divinitus vocati migraverunt ad Dominum. Ejusdem meminere hoc die Galesinius, Wion, Menardus, Dorganus, Ghinius, Martyrolog. Germanicum, Ferrarius in catal. SS. Italiae, xxii Januarii iterum celebratur a Galesinio hoc elogio: Romæ S. Anastasii Abbatis et Confessoris. Is primo Romanæ Ecclesiae Notarius, post eo munere sese abdicat, ut in religionem totum se Deo consecraret. Profectus igitur ad monasterium quod est ad Neptunum oppidum, monachalis vitæ rationem suscepit: ibique Abbas factus, pietate, religione, sanctimonia præluxit. Eadem fere habent Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuard. et Martyrolog. Germanicum, sed ambo oppidum Neptanam vocant. Variis quidem nominibus appellatur illud oppidum, Nepe, Nepa, Colo-

Nepe oppidum.

nia Nepis, Colonia Nepet, Colonia Nepensis, Nepeta, Nepita, Nepete, urbs Nepesina. At Neptunum, aut Neptanam dici, nusquam legimus. Ejus urbis Episcopatus, immediate Pontifici Romano subjectus, cum Sutriino conjunctus est.

3 De S. Anastasio hæc scribit S. Gregorius Papa lib. 1. Dialogor. cap. 7. De vicino nunc loco tibi aliquid narrabo, quod et viri venerabilis Maximiani Episcopi, et Laurionis, quem nosti, veterani monachi, qui uterque nunc usque superest, relatione cognovi: qui scilicet Laurio in illo monasterio, quod juxta urbem Nepesinam Suppentonia vocatur, ab Anastasio viro sanctissimo nutritus est. Qui nimirum Anastasius vitæ venerabilis viro Nonnoso, Præposito monasterii quod in Soractis monte situm est, et propinquitate loci, et morum magnitudine, et virtutum studiis assidue jungebatur.

Unde accepit quæ de Anastasio narrat S. Gregorius.

4 Fusius deinde cap. 8. Eodem quoque tempore venerandus vir Anastasius, ejus superius memoriam feci, sanctæ Romanæ Ecclesiae, cui Deo auctore deservio, Notarius fuit. Qui soli Deo vacare desiderans scriinium deseruit, monasterium elegit: atque in eo loco, quem præfatus sum Suppentoniam vocari, per annos multos in sanctis actibus vitam duxit: eique monasterio solerti custodia præfuit. Quo videlicet in loco ingens desuper rupes eminet, et profundum subter præcipitium patet.

Anastasius Rom. Eccl. Notarius, fit monachus.

tum Abbas.

3 Quadam vero nocte, cum jam omnipotens Deus ejus venerabilis viri Anastasii labores remunerare decrevisset, ab alta rupe vox facta est, quæ producto sonitu clamaret, dicens: Anastasi veni. Quo vocato, alii quoque septem fratres vocati sunt ex nomine. Parvo autem momento ea quæ fuerat emissa vox siluit; et octavum fratrem vocavit. Quas dum aperte voces congregatio audisset, dubium non fuit, quin eorum qui vocati fuerunt, obitus appropinquasset. Intra paucos igitur dies, primus venerandus vir Anastasius; ceteri autem in eo ordine ex carne educti sunt, quo de rupis vertice fuerant vocati. Frater vero ille ad quem vocandum vox parum siluit, atque eum tunc nominavit, morientibus aliis, paucis diebus vixit, et tunc vitam finivit: ut aperte monstraretur, quia interjectum

Divinitus evocatur cum 8 sociis.

EX S.
GREGORIO.
Alteri petenti
mortem im-
petrat.

interjectum vocis silentium parvum vivendi spatium signaverit.

6 Sed mira res contigit : quia venerabilis vir Anastasius dum de corpore exiret, erat quidam Frater in monasterio qui supervivere ei nolebat; provolutus vero ejus pedibus, cœpit cum lacrymis ab eo postulare, dicens : Per illum ad quem vadis, deprecor, te adjuro, ne septem dies super te in hoc mundo vivam : ante ejus septimum diem etiam ipse defunctus est, qui tamen in illa nocte inter ceteros non fuerat vocatus : ut aperte claresceret, quia ejus obitum sola venerabilis Anastasii intercessio obtinere potuisset. PETRUS : Cum idem Frater et vocatus inter ceteros non est, et tamen sancti viri intercessionibus ex hac luce subtractus est, quid aliud datur intelligi, nisi quod hi, qui apud Dominum magni sunt meriti obti-

nere aliquando possunt ea etiam, quæ non sunt prædestinata? GREGORIUS : Obtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerunt : sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi pro labore perveniant : quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare.

7 Hæc Gregorius, qui Anastasii meminit iterum in Registro l. 2, Indict. 11, cap. 30: De Domino enim Nonnosio Abbate, qui juxta Dominum Anastasium de Pentumis fuit, aliqua retulisse te memini quæ oblivioni mandavi. Porro Maximianus, cujus hic facta mentio est, colitur 9 Junii, Nonnosus 2 Septembris.

Quomodo im-
petrentur
prædestinata.

DE S. VITALIO, SEU VITALE, MONACHO GAZÆO, ALEXANDRIÆ.

INITIO
SEC. VII.
XI JANUARIJ.
S. Vitalii na-
tatis.

Santissimi monachi Vitalii, sive Vitalis, natalem hoc die consignant Græcorum Menæa, his verbis : S. Vitalius in pace quiescit. Ex his quæ in vita S. Joannis Eleemosynarii 23 Januarii, de ejus admirabili nec temere imitando zelo, narrantur, virum plane eximie virtutis constat fuisse. Dolemus non ejus vitam omnem esse traditam litteris. Quæ saltem extant, huc transcribenda duximus ex ejusdem Joannis Patriarchæ vita, quam geminam, auctoribus Leontio Neapoleos Cypri Episcopo, et Simeone Metaphraste 23 Jan. dāvimus.

VITA

AUCTORE LEONTIO EPISCOPO,
in S. Joannis Eleemosynarii vita.

Senex quidam magnus, quasi annorum sexaginta, audiens tales res Beati, voluit tentare eum, si posset verbis suaderi, et ad scandalum facile inclinari, et, ut contigit, si condemnaret aliquem. Et habitans prius a in monasterio Abbatis Seridonis, exiit et venit Alexandriam, et sumit conversationem hominibus quidem reprehensibilem, sed Deo gratam, qui dat (ut ait David) singulis secundum cor eorum. Ingressus itaque civitatem, scribit omnes quæ notæ erant meretrices, et cœpit laborare opuscula, et accipere per singulos dies b siliquam unam. Cum ergo occurreret sol, manducabat unius ærei lupinos, et intrabat ad unam meretricum, et dabat ei æreos nummos, et dicebat : Dona mihi noctem istam, et noli fornicari. Et manebat juxta eam nocte illa, observans eam ne fornicaretur. Stabat ergo a vespere in uno angulo cellulæ, ubi dormiebat mulier, psallens, et orans pro ea, et mittens genuflexiones usque ad auroram : et exiens, accipiebat c verbum ab illa, quod nulli diceret actionem ejus.

2 Ita agebat semper, quousque una earum manifestavit vitam ejus, quod non, ut fornicaretur, intraret ad eas, sed ut salvaret. Oravit senex, et cœpit mulier a dæmonio vexari, ut per illam ceteræ timerent, et non manifestarent eum omni tempore vitæ ejus. Dicebant ergo quidam ei quæ a dæmonio vexabatur : Quid est? Reddidit tibi Deus quoniam mentita es. Ut fornicetur enim, ingreditur pessimus iste, et non est aliud aliquid. Jam enim et S. Vitalius (hoc quippe nomen erat ei) volens hominum gloriam fugere, et animas a tenebris revocare, dicebat audientibus cunctis, cum laboraret in opere, et solveret vesperi : Eamus modo, Domina talis expectat nos. Ubi ergo erat ordo ipsius? Multis ergo preminantibus et illudentibus ei, dicebat : Numquid ego non vestio corpus ut omnes? Aut monachis solis iratus est Deus? Vere et ipsi homines sunt ut omnes. Dicebat itaque

ei quidam : Accepe tibi unam mulierem Abba, et muta vestimentum tuum, ut non blasphemetur Deus per te, d et habebis judicium, quæ scandalizantur, animarum. At ille respondebat eis iterum, dicebatque se demonstrans quasi iratum : Vere non obaudiam vobis : ite a me. Modo nihil aliud faciam, ut vos non scandalizemini, nisi accipiam mulierem, quatenus curam habeam domus, et faciam malos dies : qui vult scandalizari, scandalizetur, et det frontem in parietem. Quid vultis ex me? Numquid judices constituti estis super me a Deo? Ite, de vobis curam habetote, vos pro me non reddetis rationem. Unus est judex, et sancta dies judicii, qui singulis reddet secundum opera eorum. Dicebat autem hæc clamans.

3 Quidam ergo Ecclesiæ e Defensorum, hæc multoties audientes ab eo, referebant Patriarchæ quod fiebat. f Deus vero sciens quod nollet ille Sanctus offendere Abbatem Vitalium, induravit cor ejus, ne crederet eis. Recordabatur enim ante memorati eunichi : sed increpavit vehementer eos, qui contra Vitalium Abbatem accusationem ei afferbant, dicens ad eos : Quiescite accusare monachos. An nescitis quod circa sanctæ memoriæ g Constantinum Imperatorem actum fuisse, conscriptiones quæ de eo leguntur, contineant? Quoniam, ait, quidam non timentes Deum, cum celebraretur h sancta Synodus in Nicæa, cœperunt contra se dare in scriptis famas turpes beato illi Imperatori; quidam Clerici quidem existentes, quidam monachi : et ad faciem adducens sanctus Dei Constantinus accusatorem et accusatum, utrumque audivit. Et i cum invenis et multas talium criminatum veras esse, afferens ardentem cereum, incendit omnes, quæ datæ sunt in scriptis, malas opiniones, dicens : Vere, si propriis oculis vidissem Sacerdotem Dei, vel aliquem eorum qui monachico habitu circumamicti sunt, peccantem; chlamydem meam explicarem, et cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. Nam et in servum Dei illum, videlicet eunuchum, ita putastis, et misistis me extra viam, et feci animæ meæ peccatum magnum : confundens ergo eos multum, absolvit.

4 Servus autem Dei Vitalius a propria operatione non cessabat. Deprecabatur ergo, ut quibusdam post mortem ejus in somnis manifestaret Deus, ut non imputaretur in peccatum his qui scandalizabantur in eum; eo quod rem quam agebat, dicerent scandalo esse plenam : et ne haberet homo peccati judicium ex ea quidquid locutus fuisset. Multas igitur de talibus mulieribus in compunctionem induxit hæc operatio ejus : et maxime quando videbant eum nocte extendentem manus, et orantem pro unaquaque earum : propter quod quædam earum a fornicatione cessabant.

Vitalius ca-
lumniam pa-
titur.

Accusatur
apud Episco-
pum.

Episcopus
eum non au-
det judicare.

Orat Vitalius
ne alii scan-
dalizentur.

Multas con-
vertit.

Id evulgans
punitur.

a
Psal. 19. 5.
S. Vitalius
meretrices ad
noctis unius
continentiam
pretio indu-
cit.

b

c